



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXCIX. An sit in Angelis intellectus agens, & possibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

DISPUT. CXCIX.

ARTICVLVS IV.

Verum in Angelo sit intellectus agens & possibilis.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod in Angelo sit intellectus agens, & possibilis. Dicit enim Philosophus in 3. de Anima: quod, sicut in omni natura est aliquid, quo est omnia fieri, & aliquid quo est omnia facere, ita etiam in anima. Sed Angelus est natura quaedam. Ergo in eo est intellectus agens, & possibilis.

2. Præterea. Recipere est proprium intellectus possibilis: illuminare autem est proprium intellectus agentis: ut patet in 3. de Anima. Sed Angelus recipit illuminationem à superiori, & illuminat inferiorum. Ergo in eo est intellectus agens & possibilis.

Sed contra est, quod in nobis intellectus agens & possibilis est per comparationem ad phantasmatum. Quæ quidem comparantur ad intellectum possibilem, ut colores ad visum, ad intellectum autem agentem ut colores ad lumen, ut patet ex 3. de Anima. Sed hoc non est in Angelo. Ergo in Angelo non est intellectus agens, & possibilis.

Respondetur dicendum, quod necessitas ponendi intellectum possibilem in nobis fuit propter hoc, quod nos inuenimur quandoque intelligentes in potentia, & non in actu. Unde oportet esse quādam virtutem, quæ sit in potentia ad intelligibilia ante ipsum intelligere, sed reducitur in actum eorum, cum sit sciens, & ulterius cum sit considerans. Et hæc virtus vocatur intellectus possibilis. Necessitas autem ponendi intellectum agentem fuit, quia natura rerum materialium, quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam immateriales & intelligibiles in actu, sed sunt solum intelligibiles in potentia extra animam existentes. Et ideo oportuit esse aliquam virtutem, quæ faceret illas naturas intelligibiles actu. Et hæc virtus dicitur intellectus agens in nobis. Veraque autem necessitas deest in Angelis: quia neque sunt quandoque intelligentes in potentia tantum respectu eorum, quæ naturaliter intelligunt: neque intelligibilia eorum sunt intelligibilia in potentia, sed in actu. Intelligunt enim primo, & principaliter res immateriales, ut infra patebit. Et ideo non potest in eis esse intellectus agens & possibilis, nisi æquiuoce.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus intelligit illa duo esse in omni natura, in qua contingit esse, generari vel fieri, ut ipsa verba demon-

CAP. I.

487

strant. In Angelo autem non generatur scientia, sed naturaliter adest. Unde non oportet ponere in eis agens & possibile.

Ad secundum dicendum, quod intellectus agentis est illuminare: non quidem aliam intelligentem, sed intelligibilia in potentia in quantum per abstractionem facit ea intelligibilia actu. Ad intellectum autem possibilem pertinet esse in potentia respectu naturalium cognoscibilium, & quandoque fieri actu. Unde quod Angelus illuminat Angelum, non pertinet ad rationem intellectus agentis. Neque ad rationem intellectus possibilis pertinet, quod illuminatur de supernaturalibus mysterijs, ad quæ cognoscenda quandoque est in potentia. Si quis autem velit hæc vocare intellectum agentem & possibilem, æquiuoce dicit, nec de nominibus est curandum.

CONCLUSIO est, In Angelis non est intellectus agens, neque possibilis: quæ sequitur. *disput. breuiter examinanda est.*

DISPUT. CXCIX.

An sit in Angelis intellectus agens, & possibilis.

*Varia opiniones, cap. 1.**Vera sententia, cap. 2.*

CAPUT I.

Varia opiniones.

Tamet si nonnulli Scholastici intellectum agentem in Angelo concedant: variant tamen in ratione assignanda; ob quam dicunt ei conuenire. Consentunt in hæc opinionem Albertus libr. 4. de coelestibus 1. parte q. 5. art. 1. & 12. & secundum. Albertus da parte summa tractatu 4. q. 14. membr. 3. art. 2. parte 1. Scotus ad 1. Scotus in d. 39. q. 1. Contra existem, Bassolis q. 4. art. 2. Ricard. art. 6. q. 2. ad 1. mo Alexand. 2. part. q. 22. membr. 2.

Primum autem Scotus probat simpliciter hæc facultatem concedendam esse Angelo, his rationibus: primo hæc facultas nihil habet imperfectionis, ergo non est Angelo de neganda. Secundo, in Angelo est intellectus possibilis, ergo & agens: hi enim mutuo referuntur. Tercio, etiam si Angelus ab initio creatus fuerit cum omnibus rerum speciebus, nihilominus habere debet intellectum agentem: nam & Christus cognitionem habuit omnium rerum, à principio suæ conceptionis, & tamen intellectu agentis non caruit: satis enim est, suapte natura posse Angelum species à rebus accipere, ut hæc potentia suapte natura ei conueniat. Hæc etiam de causa Ricardus eam Angelo concedit, & concedere coguntur, quotquot alserunt, Angelum species à rebus accipere.

Alij vero multis de causis frivolis quidem, & nullius momenti, dicunt, intellectum agentem in Angelo inesse, quas consulto prætermitto: solum addere libet opiniones Alexand. & Alberti: Alexander censet intellectum agentem in Angelis esse, non

non ut abstrahat species à phantasmatibus, sed ut eliciat intellectionem: Albertus, nec ut eliciat cognitionem, neque ut species producat, sed ut eas illuminet, & reddat idoneas; ut intellectus possibilis intelligere valeat, imo ut ipsum etiam intellectum possibilem illuminet. De possibili vero intellectu inquit Scotus, esse quidem in Angelo eo modo, quo est in hominibus: nam cum existimemus, nullam esse speciem Angelo ingentiam, sed omnes à rebus accipere, consequenter affirmat, intellectum Angeli esse possibilem omnia fieri, sicut de nostro dixit Aristot. 3. de anima cap. 4. fit enim omnia per species, quas accipit: cumque illis ex se careat, dicitur possibilis, quia potest illas recipiens, omnia fieri: cōuenit cum Scoto Ricardus, qui etiam docet Angelum species à rebus ipsis mendicare. Addit tamen Scotus, etiam si dicamus species Angelo à principio suæ creationis infusas fuisse, nihilominus intellectum eius esse possibilem, aut passivum, id quod hoc argumento confirmat. Quæcumque res, quæ formam in se recipit, est subiectum illius, licet duratione non sit prior, quam forma: sed intellectus Angeli recipit species: tanquam formas, etiam si à principio illas habuerit, & natura saltem prior est, quam species: ergo respectu illius possibilis, aut passivus dici potest.

CAPVT II.

Vera sententia.

S. Thom.
Caietan.

Opinio S. Th. in hoc art. amplectenda nobis est, quam Caietan. & recentiores Thomistæ sequuntur, nempe in Angelo non esse intellectum agentem, & possibilem: tamen de intellectu possibili quæstio de voce solum esse possit. Hic autem supponendum nobis est id, quod seq. q. art. 2. docet S. Thom. & nos ibid. probabimus, videlicet Angelum non accipere species à rebus, sed aut eas habere secum à principio ingentitas, aut saltem sine illis intelligere. Primum autem de intellectu agente prædictam sententiam sic ostendo: vel intellectus agens ponitur ad illustrandas species, ut dixit Albertus, & cum talis illustratio superuacanea sit, nec explicare possit, frustra ad huc effectum intellectus agens concedi debet: esse autem superfluum illam illustrationem patet, quia sola species ex se cum intellectu possibili coniuncta, est sufficiens principium cognitionis: aut explicent nobis, si placet, quæ sit illa illustratio, & quid in speciebus, & intellectu operetur; vix enim à nobis intelligi, nedum explicari potest. Aut intellectus agens ponitur, ut sit principium eliciendi intellectionem cum specie, sicut dixit Alex. & hoc modo non debet esse distincta potentia, adhuc secundum rationem, intellectus agens à possibili, nam possibilis vim habet cum specie producendi intellectionem: quod si ipsum intellectum possibilem, ut est tale principium, placeat nomine agentis nuncupare, iam quæstio de voce erit, & alia potentia præter unicum intellectum non erit constituenda, quod nunc contendimus. Ad nihil autem aliud videtur necessarius intellectus agens, si verum est id, quod supponimus, nempe Angelum non accipere species à rebus: si enim aliqua ratione necessarius videretur, hac præcipue esset, ut species illas produceret, & à rebus abstraheret, sicut in nobis eas à phantasmatibus abstrahit: restat igitur, frustra concedi Angelo intellectum agentem.

ARTIC. IV.

Quocirca rationes Scoti, quas cap. præced. attulimus, ex dictis facile diluuntur. Ad primam respondeo, hanc potentiam intellectus agens non aliquam supponere imperfectionem in eo, in quo quo est, nempe indigentiam specierum, quas natura sua ab extrinseco recipere debet: ad hoc enim tantum intellectus agens seruire potest, ut species à rebus, aut à phantasmatibus abstrahat: cum igitur angelus species à rebus accipere nequeat, nullo modo intellectu agenti insiget, ac proinde tali facultate præditus non est, quia in natura nihil superfluum esse debet.

Ad secundam dico, in Angelo non esse intellectum possibilem, ut statim dicemus, ad recipiendas species, sed tantum ad recipiendam intellectionem. Ad tertiam concedimus, in homine tantum intellectum agentem, etiam si ab initio omnes species rerum acciperet, quia suapte natura illas non haberet infusas; sed aliquin suapte natura à rebus, & sensibus eas accipere deberet: quæ non esset frustra facultas intellectus agentis in homine, etiam si de facto nihil operaretur, præterquam quod ex rebus semper posset novas species acquirere.

Circa intellectum vero possibilem potius de voce, quam de re ipsa, inter doctores dissentio est: nam quamvis negari non possit id, quod Scotus contendit, in Angelo videlicet futurum intellectum possibilem ad recipiendam speciem, etiam si eam haberet sibi naturaliter infusam: tamen hæc ratio non dicitur ab Aristot. 3. de anima c. 5. intellectus possibilis, sed quia prius nuda potentia in genere intelligibilem, & deinde fiat omnia intelligibilem per susceptionem specierum: quod patet S. Thom. in hoc art. negat, & merito in Angelis intellectum possibilem. Sic respondet Caietan. in hunc art. Scoto, quare quæstionem de voce esse de voce potius, quam re, ac proinde in ea amplius immorandum non est.

ARTIC. V.

Vtrum in Angeli sit sola intellectiva cognitio.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod in Angelis non sit sola intellectiva cognitio. Dicitur enim Augustinus 8. de Ciuitate Dei, quod in Angelis est vita, quæ intelligit & sentit. Ergo in eis est potentia sensitiva.

2. Præterea. Ildorus dicit, quod Angeli multa nouerint per experientiam, quæ fit ex multis memorijs, ut dicitur in 1. Metaphys. Ergo in eis est etiam memoratiua potentia.

3. Præterea. Dionysius dicit 4. cap. de diuin. nomin. quod in demonibus est phantasia proterua. Phantasia autem ad vim imaginatiuam pertinet. Ergo in demonibus est vis imaginatiua. Et eadem ratione in Angelis, quia sunt eisdem nature.

Sed contra est, quod Gregorius dicit in Homilia de Ascensione, quod homo sentit cum pecoribus, & intelligit cum Angelis.

Respon-

Respondeo dicendum, quod in anima nostra sunt quedam vires, quarum operationes per organa corporea exercentur, & huiusmodi vires sunt actus quarundam partium corporis, sicut est visus in oculo, & auditus in aure. Quædam vero vires animæ nostræ sunt, quarum operationes per organa corporea non exercentur, ut intellectus & voluntas. Et huiusmodi non sunt actus aliquarum partium corporis. Angeli autem non habent corpora sibi naturaliter unita, ut ex supra dictis patet. Vnde de viribus animæ non possunt eis competere nisi intellectus & voluntas. Et hoc etiam Commentator dicit 12. Metaphysicorum, quod substantiæ separatæ diuiduntur in intellectum, & voluntatem. Et hoc conuenit ordini vniuersi, ut suprema creatura intellectualis sit totaliter intellectiua, & non secundum partem, ut anima nostra. Et propter hoc etiam Angeli vocatur intellectus & mentes, ut supra dictum est. Ad ea vero, quæ in contrarium obijciuntur, potest dupliciter responderi. Vno modo, quod auctoritates illæ loquuntur secundum opinionem illorum, qui posuerunt angelos & demones habere corpora naturaliter sibi unita. Qua opinio ne frequenter Augustinus in libris suis vitur, licet eam asserere non intendat. Vnde dicit 21. de Ciuitate Dei, quod super hac inquisitione non multum est laborandum. Alio modo potest dici, quod auctoritates illæ, & consimiles, sunt intelligendæ per quandam similitudinem, quia cum sensus certam apprehensionem habeat de proprio sensibili, est in visu loquentium, ut etiam secundum certam apprehensionem intellectus aliquid sentire dicantur. Vnde etiam sententia nominatur. Experientia vero angelis attribui potest per similitudinem cognitorum, & non per similitudinem virtutis cognoscitiuæ. Est enim in nobis experientia dum singularia per sensum cognoscimus. Angeli autem singularia cognoscunt, ut infra patebit, sed non per sensum. Sed tamen memoria in angelis potest poni, secundum quod ab Augustino ponitur in mente, licet non possit eis competere secundum quod ponitur pars animæ sensitiuæ. Similiter dicendum, quod phantasia proterua attribuitur demonibus, ex eo quod habent falsam practicam estimationem de vero bono. Deceptio autem in nobis proprie fit secundum phantasiā, per quam interdum similitudinibus rerum inhaeremus, sicut

rebus ipsis, ut patet in dormientibus & amentibus.

CONCLUSIO est affirmans & absque ulla controuersia.

QVÆSTIO LV.

De medio cognitionis Angelicæ.

CONsequenter quaeritur de medio cognitionis angelicæ.
Et circa hoc quaeruntur tria.

ARTICVLVS I.

Vtrum Angeli cognoscant omnia per suam substantiam.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Angeli cognoscant omnia per suam substantiam. Dicit enim Dionysius 7. capite de diuin. nomin. quod Angeli sciunt ea, quæ sunt in terra, secundum propriam naturam mentis. Sed natura Angeli est eius essentia. Ergo angelus per suam essentiam res cognoscit.

2. Præterea. Secundum Philosophum in 2. Metaphysicorum & in 3. de Anima in his quæ sunt sine materia, idem est intellectus & quod intelligitur. Id autem quod intelligitur est idem cum intelligente ratione eius quo intelligitur; Ergo in his, quæ sunt sine materia, sicut sunt Angeli, id quod intelligitur, est ipsa substantia intelligentis.

3. Præterea. Omne quod est in altero est in eo per motum eius in quo est. Sed angelus habet naturam intellectualem. Ergo quicquid est in ipso, est in eo per motum intelligibilem. Sed omnia sunt in eo: quia inferiora in entibus sunt in superioribus essentialiter, superiora vero sunt in inferioribus participatiue. Et ideo dicit Dionysius 4. capite de diuin. nomin. quod Deus tota in totis congregat, id est, omnia in omnibus. Ergo angelus omnia in sua substantia cognoscit.

Sed contra est, quod Dionysius dicit in eodem capite, quod Angeli illuminantur rationibus rerum: ergo cognoscunt per rationes rerum, & non per propriam substantiam.

Respondeo dicendum, quod illud quo intellectus intelligit, comparatur ad intellectum intelligentem, ut forma eius, quia forma est quo agens agit. Oportet autem ad hoc quod potentia perfecte compleatur per formam, quod omnia contineantur sub forma, ad quæ potentia se extendit. Et inde est, quod in rebus corruptibilibus forma non perfecte com-

680.

2. d. 12. ar. 3.

5. Et 3. d. 14.

cor. 1. 9. 2.

cor. 1. 6. 7.

a medio.

L. 12. 7. 6.

12. 5. 1. Et 3.

de anima

12. 13. 10. 2.

c. 4. non

remote a

princ.

Et complet potetiam materia: quia potentia materie ad plura se extendit, quam sit continentia forme huius vel illius. Potentia autem intellectiva Angeli se extendit ad intelligendum omnia: quia obiectum intellectus est ens, vel verum commune. Ipsa autem essentia Angeli non comprehendit in se omnia, cum sit essentia determinata ad genus & ad speciem. Hoc autem proprium est essentie diuine, quæ infinita est, ut in se simpliciter omnia comprehendat perfecte. Et ideo solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam: Angelus autem per suam essentiam non potest omnia cognoscere, sed oportet intellectum eius aliquibus speciebus perfici ad res cognoscendas.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur Angelum secundum suam naturam res cognoscere, id secundum non determinat medium cognitionis, quod est similitudo cogniti, sed virtutem cognoscitivam, quæ conuenit Angelo secundum naturam.

Ad secundum dicendum, quod sicut sensus in actu, est sensibile in actu, ut dicitur in 2. de anima, non ita quod ipsa vis sensitiva sit ipsa similitudo sensibilis quæ est in sensu, sed quia ex utroque sit unum, sicut ex actu & potentia: ita & intellectus in actu dicitur esse intellectum in actu: non quod substantia intellectus sit ipsa similitudo per quam intelligit, sed quia illa similitudo est forma eius. Idem est autem quod dicitur: in his quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur, ac si diceretur quod intellectus in actu est intellectum in actu. Ex hoc enim aliquid est intellectum in actu, quod est immateriale.

Ad tertium dicendum, quod ea, quæ sunt infra Angelum, & ea, quæ sunt supra ipsum, sunt quodammodo in substantia eius: non quidem perfecte, neque secundum propriam rationem, cum Angeli essentia finita existens, secundum propriam rationem ab alijs distinguatur, sed secundum quandam rationem communem. In essentia autem Dei sunt omnia perfecte, & secundum propriam rationem, sicut in prima & vniuersali virtute operatiua, à qua procedit quicquid est in quacunque re proprium, vel commune. Et ideo Deus per essentiam suam habet propriam cognitionem de rebus omnibus: non autem Angelus, sed solam communem.

CONCLUSIO est, Angelus non cognoscit omnia per suam essentiam, tanquam per principium primum, & intelligibilem formam. In superiori enim articulo probauit, ipsum intelligere Angeli non esse suam essentiam, & in secundo non esse suam existere: nunc vero ostendit, suam essentiam non esse proximum principium intelligendi, sicut est forma, aut species intelligibilis, qua intellectus informatur. Loquitur autem in hoc articulo de intellectione aliarum rerum, præter Deum, & se ipsum: nam de cognitione, qua se ipsum intelligit, differit in articulo sequenti de cognitione vero, quam habet de Deo, in articulo 2. Cum vero ait in hoc articulo, non omnia ab angelo cognosci per suam essentiam, non intelligit, Angelum non cognoscere aliqua per suam essentiam, sed nulla, per quid vero illa intelligit, articulo sequenti declarat: quapropter doctrina prædicta articuli cum sequenti melius examinabitur.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Angeli intelligant per species à rebus acceptas. Oportet enim, quod intelligatur per aliquam sui similitudinem in intelligente intelligitur. Similitudo autem alius in altero existens, aut est ibi per modum exemplaris, ita quod illa similitudo sit causa rei: aut est ibi per modum imaginis, ita quod sit cauata à re: Oportet igitur, quod omnis scientia intelligentis vel sit causa rei intellectæ, vel cauata à re. Sed scientia Angeli non est causa rerum existens in natura, sed sola diuina scientia. Ergo oportet, quod omnes species, per quas intelligit intellectus Angelicus, sint à rebus acceptæ.

2. Præterea. Lumen angelicum est fortius, quam lumen intellectus agentis in anima. Sed lumen intellectus agentis abstrahit species intelligibiles à phantasmatibus: ergo lumen intellectus angelici potest abstrahere species etiam ab ipsis rebus sensibilibus. Et ita nihil prohibet dicere, quod Angelus intelligat per species à rebus acceptas.

3. Præterea. Species quæ sunt in intellectu, indifferenter se habent ad proximum sensum & distans, nisi quatenus à rebus sensibilibus accipiuntur. Si ergo Angelus non intelligit per species à rebus acceptas, eius cognitio indifferenter se haberet ad propinqua & distans. Et ita frustra secundum locum moueretur.

Sed contra est, quod Dionysius dicit 7. cap. de diu. nom. quod Angeli non congregant diuinam cognitionem à rebus diuisibilibus, aut à sensibilibus.

Respondeo dicendum, quod species per quas angeli intelligunt, non sunt a rebus acceptæ, sed eis connaturales. Sic enim oportet intelligere distinctionem spiritualium substantiarum & ordinem, sicut est distinctio & ordo corporalium. Suprema autem corpora habent potentiam in suam naturam totaliter perfectam per formam. In corporibus autem inferioribus potentia materia non totaliter perficitur per formam, sed accipit nunciam, nunc aliam formam ab aliquo agente. Similiter & inferiores substantie intellectuales, scilicet anime humane habent potentiam intellectivam non completam naturaliter: sed completur in eis successive per hoc, quod accipiunt species intelligibiles a rebus. Potentia vero intellectiva in substantiis spiritualibus superioribus, id est, in angelis, naturaliter completa est per species intelligibiles connaturales in quantum habent species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda quæ naturaliter cognoscere possunt. Et hoc etiam, ex ipso modo essendi huiusmodi substantiarum apparet. Substantie enim spirituales inferiores, scilicet anime, habent esse affine corpori in quantum sunt corporum forma, & ideo ex ipso modo essendi competit eis ut a corporibus & per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur, alioquin frustra corporibus vniuntur. Substantie vero superiores, id est, angeli sunt a corporibus totaliter absolute immaterialiter, & in esse intelligibilibus substantes: & ideo suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura. Vnde Augustinus dicit 2. super Genesim ad litteram, quod cetera quæ infra angelos sunt, ita causantur ut prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo.

Ad primum ergo dicendum, quod in mente angeli sunt similitudines creaturarum, non quidem ab ipsis creaturis acceptæ, sed a Deo qui est creatorum causa, & in quo primo similitudines rerum existunt. Vnde Augustinus dicit in eodem lib. quod sicut ratio qua creatura conditur, prius est in verbo Dei, quam ipsa creatura quæ conditur, sic eiusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, ac deinde est ipsa conditio creaturæ.

Ad secundum dicendum, quod de extremo ad extremum non pervenit nisi

per medium. Esse autem formæ in imaginatione, quod est quidem sine materia, non tamen sine materialibus conditionibus, medium est inter esse formæ quæ est in materia, & esse formæ quæ est in intellectu per abstractionem a materia & a conditionibus materialibus. Vnde quantumcunque sit potens intellectus angelicus, non posset formas materiales reducere ad esse intelligibile: nisi prius reduceret eas ad esse formarum imaginationum: quod est impossibile, cum careat imaginatione, ut dictum est. Dato etiam quod posset abstrahere species intelligibiles a rebus materialibus non tamen abstraheret, quia non indigeret eis, cum habeat species intelligibiles connaturales.

Ad tertium dicendum, quod cognitio angeli indifferenter se habet ad distans & propinquum secundum locum. Non tamen propter hoc motus eius localis est frustra. Non enim movetur localiter ad cognitionem accipiendam, sed ad operandum aliquid in loco.

CONCLUSIO est, Angeli non intelligunt per species a rebus acceptas sed per species sibi innatas & connaturales: cuius veritas sequenti disput. magis explicabitur.

DISPVT. CC.

An species Angeli intelligant.

Angeli per solam suam essentiam, & intellectum omnia intelligere senserunt Durandus & Nominales cap. 1.

Communis sententia cap. 2.

Iudicium de utraque sententia cap. 3.

CAPVT I.

Angeli per solam suam essentiam, & intellectum omnia intelligere senserunt Durandus & Nominales.

Presens controuersia est de principio, quo Angelus intelligit, aut visionem elicit, an sit nuda essentia sua, & intellectus, vel indigeat specie aliqua addita ipsi intellectui, ut ea formatus intellectus eliciat intellectionem: tum etiam, quæ rationales species Angelo conueniant. In qua questione mirum non est varia esse Theologorum placita: est enim res hæc a sensu remotissima, & proinde vix aliqua certa coniectura de ea sumi potest: referam igitur singulatim omnium sententias, ut saltem nobis appareat, quæ illarum minus rectæ philosophiæ, & rationi aduersetur.

Prima opinio est eorum, qui dicunt angelum absque vlla specie innata, vel adquisita sola sua essentia, & intellectu esse secundum ad intelligendum, quæcumque intelligit cognitione propria, & (ut aiunt) quiditativa rei. Ita tradiderunt Durandus in 2. d. 3. q. 6. n. 17. & seq. Gabr. in ead. d. q. 2. a. 2. concl. 2. Gabr. & 3. & 3. primæ parte conclus. 2. & 3. Ocam in 2. q. 15. Ocam. cõd. 1. ubi docet de omni intellectu etiam hominis, & in ead. quæst. in solutione q. 14. §. his visis, speciatim id docet